



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0510

Giovedì 13.08.2009

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DELLA DIOCESI DI PÉCS IN UNGHERIA (23 AGOSTO 2009)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DELLA DIOCESI DI PÉCS IN UNGHERIA (23 AGOSTO 2009)

Il 20 giugno scorso è stata resa pubblica la nomina dell'Em.mo Cardinale Christoph Schönborn, O.P., Arcivescovo di Vienna, ad Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni del millennio della Diocesi di Pécs (Ungheria), in programma il 23 agosto 2009.

Il Cardinale Christoph Schönborn sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Sac. Viktor Nyúl, *Docente di Sacra Scrittura* presso l'Istituto Superiore Vescovile di Teologia a Pécs;
- Rev.do Sac. Gábor Takács, *Docente di Teologia Morale* presso il summenzionato Istituto.

Di seguito pubblichiamo la Lettera Pontificia al Cardinale Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
Christophoro S.R.E. Cardinali Schönborn O.P.
Archiepiscopo Metropolitae Vindobonensi

Quinque Ecclesiensis dioecesis grato animo mille celebrat annos a die quo Decessor Noster Sergius IV rec. mem., pastoralibus prospiciens necessitatibus populi illam incolentis regionem, anno MIX eam condidit. Dilecti istius gregis fideles memoriam huius eventus recolentes spiritualis itineris progressionem assidue perscrutantur atque Domini vocem diligenter auscultare conantur. Multa revera fuerunt his in tribus annis pastoralia incepta quae Ecclesia localis suis proposuit fidelibus omnibusque hominibus bonae voluntatis, ut omnes clare videre possent quomodo religio historiam gregis esset comitata.

Die XXIII proximi mensis Augusti in Quinque Ecclesiensi dioecesi, in qua propter Hungaros commorantur etiam Germani, Croatae, hamaxobii fideles, sollemnis agetur celebratio tanti eventus in qua haud dubie multi adstabunt Pastores Hungariae et aliarum Nationum nec non plurimi Christifideles laici.

Fausta hac occasione Venerabilis Frater Michael Mayer, Episcopus Quinque Ecclesiensis, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices Quinque Ecclesiensi in urbe gerere Nostramque erga istum gregem dilectionem manifestare posset. Ad Te, Venerabilis Frater Noster, qui pergrave munus exerces Archiepiscopi Metropolitae Vindobonensis quique amicitia tum Pastorem tum gregem Quinque Ecclesiensem prosequeris, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris **Missum Extraordinarium Nostrum** nominamus ad iam memoratam celebrationem.

Sollemni praesidebis Eucharistiae atque Episcopum Quinque Ecclesiensem aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque cunctos Christifideles laicos Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiore etiam Christi vitae imitationem cohortaberis. Oportet enim ut cuncti, venustam historiam gregis Quinque Ecclesiensis recolentes, novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae et Evangelii demonstrant atque fidei alacritate in vita cotidiana ferveant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Arce Gandulfi, die V mensis Augusti, anno MMIX, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XVI

[01197-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0510-XX.01]
